



**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Cur etiam innocentes feriantur fulmine?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

se Trojanis, Rutulisque (pro his enim Juno , pro illis stabat Venus) evan-
dem futurum. In eadem controversia Dearum suos Jupiter affectus in-
signiter temperavit ac texit , fecitque , quod de Aenea canit idem Poëta.
Spem vultu simulat.

Tiberius Cæsar , ut Xiphilinus est auctor , dictabat , Principis ani-
mum nemini cognitum esse oportere : qui proinde sic affectus suos oc-
cultò tenebat , ut quæ cupiebat , nunquam ferè diceret , & cum oratione
eius mirè pugnaret voluntas ac desiderium. Detestabatur , quod expe-
tebat maximè ; & quod oderat , dissimulabat. Irascebatur nulla re con-
turbatus : iratus tranquillissimo , æquissimè animo esse putabatur :
Hæc ille. Jupiter certè eti non ignorabat , quæ fata Latinos essent pres-
fura ; ita tamen animi sui sensa dissimulavit , ut nasutissimæ deæ eius con-
silia odorari non possent. Noyerunt hanc artem , quicunque Politici
noverunt.

III. (d) Sed ad fulmina tonantis redeamus , & Senecam audiamus ,
Natural. quæst. lib. 2. c. 42. ac seq. Quid tam imperitum est , inquit ,
quæm credere fulmina Jovem è nubibus mittere , columnas , arbores , sta-
tuas suas nonnunquam petere , ut impunitis sacrilegis , pereussis ovibus ,
incensis aris , pecudes innoxias feriat ; & ad suum concilium à Jove deos ,
quasi parùm in ipso consiliū sit , advocari ? illa lœta & pacata esse fulmina ,
quæ solus excutiat : perniciosa , quibus mittendis major Numinum tur-
ba interfuerit ? Si quæris à me , quid sentiam , non existimo tam he-
betes fuisse , ut crederent Jovem , aut non æquæ voluntatis , aut certè mi-
nus paratum esse. Nam cùm emisit ignes , quibus innoxia capita per-
cuteret , scelerata transiret , utrum putas ? an noluit justius mittere , an
non successit ? Quid ergo secuti sunt , qui hoc dicebant ? Ad coercen-
dos imperitorum animos , sapientissimi viri judicarunt , utile esse , in tan-
ta scelerum audacia , etiam innocentiam metu percelli .

IV. (e) Nunc quid *Aquila* , quæ Jovi arma in gigantes pugnanti
subministravit , unde & armiger ales dicta est , symbolice doceat , expo-
namus. Oculis aquilinis , longissimè aciem porrigitibus , quis nescit
maximam inesse perspicacitatem ? Pertinet hoc ad reges , Principes , ma-
gistratus , oculos ut mentis acriter intendant , & quæ prodeße ac obesse
possint , procul prospiciant. Aquilæ pullos ad solem explorare feruntur ,
& nido deturbare , tanquam degeneres , qui nictantibus cum oculis intu-
entur. Est hic genius altarum mentium : fortes creantur fortibus , nec progi-
gnunt generosæ aquilæ imbellis columbas , nascuntur quidam ad sceptrum ;
alii

(d) *Cur innocentes quoque feriuntur fulmine?* (e) *Aquila Symbolum regium.*